



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Ecclesiastes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

boribus ad amicitiae commoda deflexit Ecclesiastes, hoc etiam ad extremum suggero; Si quæris quâ ratione partas opes ad honestum fœnus amicitiae transcribas, opportunum inprimis Christi consilium amplectere, *Luc. 16, 9.* & pauperibus Deo charis facultates impertire. *Fac, inquam, tibi amicos de mammonâ iniquitatis, ut cum defeceris, illi te recipiant in aeterna tabernacula.* Et quis scit an huc etiam respexerit Ecclesiastes versu sequenti? Certè nemo amicitiam nostrâ & opum communione dignior, quàm pauper & sapiens, non minùs à Christo quàm ab Ecclesiaste commendatus: nemo à quo maiora amicitiae præsidia sint speranda. Sed plerique hominum contrâ faciunt, & Magnatum amicitias prehensant, ignari quàm fragili arundine fulciantur, & quàm toti à fortunâ pendeant.

SECTIO QUINTA. ECCLESIASTES.

VERS. 13. Melior est puer pauper & sapiens, rege sene & stulto, qui nescit prævidere in posterum.

14. Quòd de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopiâ consumatur.

METRICA PARAPHRASIS.

SUPERBA quisquis culmina suspicis
Fallacis aulae, fultaque tetricis
Regum paludamenta curis
Sidonio medicata fuco;

Sortis